Tractatus Duo;

DE

CREATIONE,

ET

PROVIDENTIA

DEI.

AUTHORE

GUILIELMO PEMBELO,

Anglo, *Oxoniensi.*

Londini, Impensis J. B.

BENEVOLO LECTORI. S.

EN habes impressam (Erudite Lector) pulchram sane & nervosam viri doctissimi dissertationem; in qua, tanquam in speculo, cum lux tum lex divinæ providentiæ plane opponitur, & plene exponitur; tractatus certe lectu dignissimus: nostra enim hoc multum interesse puto,

ut ipsam Dei providentiam cognoscamus, etsi fortasse ignoremus & modum & rationem omnium actuum qui sub intuitu & influxu divinæ administrationis cadere solent; Nobis vero hoc saltem persuasissimum esse debet: Deum scilicet patrem nostrum toti quidem Mundo præesse, & præ cæteris cunctis rebus, humanis actionibus suaviter & sapienter consulere, neque solum universis, verum etiam singulis; nihilque à nobis geri vel posse sine numine divino, vel deberi sine sanctâ ejusdem Numinis agnitione;

imo

imo Christianis & piis omnibus tam necessaria est Providentiæ supremæ cognitio, ut ausim dicere sine ea consistere non posse ne prima quidem religionis rudimenta. Quid enim fidem nostram magis firmat, vitamque nostram tam reformat quam cognitio juxta & agnitio divinæ providentiæ? Palam autem est ipsum Diabolum (quocunque pii vertant oculos) innumera parata habere pietatis impedimenta, idque præcipue hisce ultimis & pessimis temporibus. Verum cum nobis semel pro fixo

ratoque fuerit, Deum (qui totus oculus est) ita omnia curare, ut unum aliquid; & ita singula ac si illud curaret unicum, tum nullo negotio difflantur omnes Diaboli insidiæ, nobisque licebit intrepide in pietatis studio ultra procurrere. Ex hac etenim doctrina satis abunde & facile comparantur ea omnia quæ opus sunt ad fidem rite plantandam, & vitam nostram recte instituendam. Faxit Deus Omnipotens, qui omnia sub manu habet, ut hæc de providentia disputatio, Ecclesiæ emolumento, & Pietatis

tatis incremento quam fæliciſsime inſerviat. Amen.

Tuus in Jeſu Chriſto,

RICH. CAPEL.

De

Opera Dei sunt

I. Personalia, quæ fiunt à singulari Principio; Personam, scilicet secundum propriam & personalem relationem. Atque hæc sunt,

1. Simpliciter (a) Personalia; quorum Terminus à quo, & ad quem est regularis. Hæc sunt Opera Relationis, ut Gignere, Spirare, &c.

2. Secundum (b) quid; quorum Terminus ad quem est communis, viz. Creatura. Et principium actus commune est in tribus Personis. Terminus autem proprius est in una tantum.

Ut { Creatio Patris. Redemptio Filii. Sanctificatio Spiritus sancti.

II. Essentialia, quæ fiunt à communi principio, viz. essentia, & terminantur in Creatura. Ut Opera ad extra, quæ fiunt ab omnibus personis, servata interim Ordinis distinctione.

Hæc vel { Interna in Consilio & Decreto. Externa in Executione.

De Utrisque In Genere.

a Atque hæc opera non sunt Voluntatis ex deliberatione agentis; sed Naturæ necessario agentis.

b Hæc sunt Voluntaria

De fine Theologiæ; ubi de operum Dei Divisione.

FInis proximus Theologiæ respectu hominis est Vita seu salus æterna; cujus gradus duo sunt; 1. imperfectior, & inchoatus in hac vita, qui dicitur Consolatio; summa nempe lætitia & pax conscientiæ, ex 1°. Fiducia remissionis peccatorum, & partarum peccatis debitarum, & Reconciliationis. 2°. Ex initio sanctificationis & conformitatis nostræ cum Deo, cum spe & gustu futuræ perfectionis in utrisq; 2. Alter perfectior & consummatus post hanc vitam ex plena Dei fruitione ortus, quando anima & corpus perfecte unietur cum Deo, & 4 Ioh. 14. 3. 1 Cor. 15. 28.

ex ea Unione illa fiet Deo conformis in intellectu & voluntate, hoc incorruptibile & pulchrum, utrumq; *b* Ioh. 14. 2. 3. summe glorioſum in *b* cœlo beatorum permanebit. Hæc de Fine leviter præcognoviſſe ſufficiant, quæ in 2 Pet. 1. 4. Phil. 3. 21. ſequentibus uberius tractabuntur.

Finis iſte, nempe Salus noſtra, conſideratur duplici modo:

1. Primo in Cauſis ſuis, quæ ſunt Dei Opera, & Effecta.

2. Secundo in Subjecto ſuo, *viz.* Homine, ejuſq; Statu vario.

Hanc ſequuti diviſionem, agamus primo loco de Dei operibus, unde tota ſalus noſtra dependet. Sunt autem Actiones ſive Actus Dei,

1. DECRETUM, quod eſt Actio Dei, ex Conſilio, & Propoſito ſuæ voluntatis, omnia omniumq; rerum circumſtantias omnes & ordinem, ab æterno in ſe certo & immutabiliter, tamē libere definiens. *Act.* 2. 23. *Act.* 4. 28. *Act.* 15. 18. Quicquid enim vel Creatura ipſa, vel Deus circa eam operatur, id ab æterno, ut ita fieret, decretum eſt, *Epheſ.* 1. 11. *Mat.* 10. 29. duo paſſerculi, &c. Neque bona

bona tantum, sed etiam Mala malorum Opera juste decrevit. Malum enim, respectu Dei ordinantis, Boni rationem habet (nec enim datur summum Malum) ut ex eo pateſiat Gloria Dei in Justitia & Misericordia sua, 1 *Petri* 3. 17. [si ita velit Dei Voluntas,] &c. Atq; hoc Decretum omnium rerum principium ἐνεργητικὸν est, & omnium Causarum Causa. Quia decernit Deus quod vult: quod vult autem efficaciter potest operari. Etsi vero sit Principium necessarium, tamen non tollit, nec voluntatis in aliquid libertatem, nec Causæ secundæ naturam, & Proprietatem: sed ordinat, & ad finem disponit constitutum. Unde effectus contingentes, vel necessarii sunt, prout secundæ Causæ natura fuit. Confer, *Act* 17. 3. cum *Mat.* 25. 39. Necessario, & tamen nolens, mortuus est Christus; & contingenter respectu χρίσεως. Atque hoc opus sive actus Dei, Internus est & æternum Immanens in ipsa essentia sua.

EXECUTIO DECRETI, est actus Dei, quo Deus omnia, prout pro-

præscita, atque decreta sunt, in tempore efficaciter operatur, & facit ut existant & actu sint. Hujus partes sunt duæ:

1. Operatio sive efficax productio Bonorum quæ sunt & fiunt.

2. Operans permissio, qua Deus idem opus,

1. Permittit ab aliis fieri spontanea permissione, quatenus malum est, deserendo Creaturam in actione, vel detrahendo, vel non largiendo Gratiam. *Rom.* 1. 26. [tradidit] 2 *Tim.* 2. 26. [det ei Deus] Et hoc totum juste, quia nemini debitor est. *Rom.* 9. 15. Et liberum est ei Gratiam dare quibus vult. *Mat.* 20. 15.

2. Efficienter Operatur, e quatenus Boni habet rationem, & non tantum nude permittit *Gen.* 50. 20. [Deus cogitavit illud in bonum] ut est *Gen.* 45. 7. *Isa.* 10. 5. [Ille non sic cogitat] Habet vero rationem Boni, ut est 1. Poena peccati: Poena enim bonum est Morale, quia Justitiæ opus. 2. Ut est Meta Actio vel Actus. 3 Ut est Castigatio, Exercitium Fidei, Martyrium, satisfactio

e Gubernando & ordinando

pro

pro peccato, ut mors Christi. *Act. 2. 4.* supra allegatis locis. Atq; hæc Actio Dei externa est, & actu Temporali transiens à Deo ad Creaturas.

Sicut autem Decretum, ita & Executio Decreti diversorum sunt generum.

——Est quidem Decretum,

Duplex
- 1 Commune & generale, quod ad omnes Creaturas spectat. Est
  - Decretum Creationis,
  - Decretū Gubernationis, seu Providentiæ.
- 2. Speciale, quod ad Creaturas rationales, Angelos atque Homines, pertinet. Vocatur Decretum Prædestinationis. Et constat ex

Decreto
- Electionis de salvandis, quibusdā Angelis & Hominibus,
- Reprobationis, de damnandis,

His

His ex adverso respondent Decretorum Executiones.

Sunt 1. Communes.

- Executio Decreti Creationis, quæ est CREATIO.
- Exec. Decr. gubernat. & Conservationis, quæ est PROVIDENTIA [Opera Naturæ.]

2. Specialis.

- Exec. Decr. Elect. in
  - Angelis bonis Confirmatio in Statu.
  - Hominibus electis Redemptio & Restauratio; omnique Opera Dei gratiosa.
- Exec. Decr. Reprobationis, in
  - Angelis malis Deturbatio de statu, & pœna in inferno.
  - Hominibus Rejectio, & Præteritio, & Obduratio, & pœnæ, omniaque iræ Divinæ effecta.

Hic igitur dicendorum ordo futurus est, ut primo de Executionibus

bus Decretorum communiorum, quia de Decretis ipsis parum habemus, vel in Scripturis expressi, vel apud Homines dubitati. Deinde de Decreto speciali, ejusque Executione per varios gradus suos. Erit primum caput de Creatione, alterum de Providentia, tertium de Prædestinatione, in quarto de Redemptione ejusque variis partibus, & mediis, & subjecto, Divina aspirante gratia pertractabimus.

De Creatione.

OPus Creationis duplicem cognoscendi rationem subit; Communem, *viz.* quatenus universa rerum Natura ab illo communi Principio ipso Creationis tempore fluxit: & specialem, secundum Naturā propriam cujusque generis, Specie & individui. Hic modus ad naturalem Philosophiam pertinet; ille vero proprie Theologicæ considerationis est. Est itaq; CREATIO, actio Dei, qua Naturam & res in Na-

tura omnes, tum substantias, tum accidentia, in & cum substantiis, ex nihilo produxit, & sex dierum spatio perfecit, ad suam gloriam, & Electorum salutem. Ad ejus Naturam plenius explicandam considerandа sunt quatuor.

1°. Causa efficiens, quæ Deus est; τὸ καταρκτικὸν. [a] Pater; δημιουργικὸν, [b] Filius; & [c] τελειωτικὸν, Spiritus Sanctus: [a] *Act.* 17. 24. [b] *Col.* 1. 16. *Iob.* 1. 3. [c] *Heb.* 1. 1, 2. *Gen.* 1. 2. *Psal.* 33. 6. *Iob.* 26. 23. Non vero vel alia Natura, vel Angeli, vel Dæmones, vel Fortuna; ut hæretici, aliique censuerunt. Sed enim Mundum sive rerum universam Naturam non ab æterno extitisse; verum, cum Creatori visum est, juxta Consilium ipsius & voluntatem cœpisse, ab eoque fuisse conditum, nobis, ut certo credamus, persuadent

b Quæ loca Samosateniani perperam detorquet.

1. Primo quidem & principaliter Fides, ut est *Heb.* 11. 3. quæ cum allegatis, tum aliis innumeris Sanctæ Scripturæ locis fundata est: ut *Gen.* 1. & *cap.* 2. ubi habemus historiam Creationis. *Iobi capita* 37, 38, 39. *Psal.*

Psalmi 104. 136. toti fere. *Isai.* 40. & 21. & 6. *Psal.* 33. 9. *Iob* 9. 8. *Apoc* 4. 11. *Rom.* 11. 36 *Isai.* 45. 12. Secundario autem & probabiliter, Lumen Naturæ, hisce rationibus elucescens.

Prima; Origines Gentium à Mose explicatæ, *Gen.* 10. & alibi, quæ ab eo confingi non potuerunt, cum aliqua earum memoria tunc extaret apud multos, quæ tamen progressu temporis extincta est.

Secunda; Origines *d* Artium, quarum primi Inventores qua quisque ætate floruerant, constat. Non est autem probabile tot sæculis antecedentibus, sine artibus vixisse humanum genus, atque his ultimis Temporibus omnes fuisse & inventas & perfectas.

Tertia; Novitas omnium Historiarum gentilium; quarum antiquissimæ nihil ante Cataclysmũ Noachi (ut e Berosus) vel Ogygis (ut Varro) vel initium Monarchiæ Assyriorum Regni Nini (ut Trogus) gestum referunt. Quinetiam ipsa Historia sacra tantum annorum 4000 plus minus est. Quæ tamen vetustissimum

d Cl. Alexand. Strom. lib. 1. Ioseph. Antiq. l. 2. c. 2. Heliod. l. ib 2. Strab. geog. ult. Plin. l. 7. c. 6. Polyd. Invent. ex Diodor. ant. l. 2. c. 21. e Vid. Ioseph. l. 1. contra Appionem, & Lucretium l. 5. *Praetera si nulla fuit genitalis origo. &c.*

mum est Antiquitatis Monumentum. Atqui indignissima esset contumelia, atque opprobrium in Homines illos, qui tot infinitis antea vixerunt sæculis, si diceremus eos fuisse adeo vel socordes vel ignaros, ut non voluerint, aut potuerint res gestas sui Temporis literis consignare.

Quarta; Certa series Temporum ab initio Mundi, ad exhibitionem Messiæ.

f Aug. Civ. Dei. p. 15. c. 9. Plin. l. 7. c. 18. A. Gell. l. 3. c. 10. Hom. Ili. 5. Juven. Sat. 15.

Quinta; Decrementum *f* Corporis & ætatis humanæ; Quæ à majore robore, quantitate, & vitæ Tempore in natura recenti huc usque ad pusillum aliquod devenit. Quod si ita semper infinitis sæculis decreverat, jam pæne in nihilum redacta foret.

g Præcipue perfectorum Animalium.

Sexta; Series causarum certa, & impossibilitas processus earum in infinitum. Necesse enim est ut detur aliquod primum, quod sit causa Universalis. Primum autem non est, nisi sit unum; nec unum, nisi sit Deus. In tot enim corporum mixtorum *g* generibus, quæ continua successione

one generantur & corrumpuntur, oportet concurrere ad unum aliquod in unaquaque ſpecie individuum. Quod vel æternum erat a parte ante; tandem autem eſſe deſiit: vel in tempore cœpit & productũ eſt, non à cauſa aliqua naturali (nulla enim erat) nec Cœlum. nec cæteræ cauſæ ſecundæ: ſed ſupernaturali, divina ſcilicet Omnipotentia. Quod ſi dicatur, mixta quidem omnia in tempore condita fuiſſe; verum non creata ex nihilo, ſed producta & fabricata ex ſimplicibus, atq; ſimplicia ipſa corpora ex aliqua materia prima Deo coæterna, eodem Dei artificio extructa & formata olim fuiſſe: Pernegandum eſt dari poſſe ſubſtantiam aliquam æternam, quæ non ſit Deus. Eſſent enim duo prima, quod eſt impoſſibile. Præterea cum alia omnia ſint imperfecta, oportet ut [eſſe ſui] ab uno aliquo perfectiſſimo mutuentur.

b Ariſt. de cœl. l. 1. c. 20. Diod. Sicul. 1. c. 2. Aug. civ. Dei. l. 28. c. 39. & l. 11. c. 4. & l. 12. c. 17. Lact. l. 7. c. 3.

Septima; Teſtimonium totius ſanæ *b* Antiquitatis, quod ex ipſa naturæ voce, & veritatis ſenſu hauſtum, aliquod ponderis in hoc negotio

tio haberi debet. Omninum enim, præsertim *i* sapientiorum consensus, & authoritas universa huic originem & initium assignavit.

His possunt addi & hæ rationes.

Octava; Res ut est, ita agit: Atqui Deus in essendo ab alio non pendet: ergo neque in operando materiam præjacentem requirit.

Nona; Ars præsupponit Naturam; Natura vero materiam. Deus qui causa est excellentior in operando, nihil præsupponit.

Decima, Prima causa (*viz.* Deus) est infinita, ergo potest quicquid non implicat contradictionem. Creatio vero rerum in principio temporis non implicat. Ergo, &c.

His rationibus efficitur, mundum non esse æternum, sed à summo omnium Artifice in tempore creatu fuisse. Imo neque potuisse ab æterno existere, si ita Deus voluisset illum ab æterno creare. In hac vero quæstione tractanda, subit mirari vel ignorantiam, vel incogitantiam Conimbricensium, qui creationis ne-

i Tum Philosoph. tum Poetar. immo ipsius Aristotelis (qui tamen maxime hic nobis adversari videtur) ut patet ex his locis: Rhet. 1. 2. c. 23. De generat. l. 2. c. 20. text 58.

negotium copioſe *k* explicantes; cum primum dixiſſent, *l* Creationē Naturæ lumine cognoſci potuiſſe, ac reipſa cognitam fuiſſe (nam *m* Ariſtotelem cognoviſſe) poſtea *n* tamen affirmant, Quod ſpectato ſolo Naturæ lumine, nullam rationem adduci poſſe, quæ creationem palam demonſtret. Præterea, quando *o* definiviſſent Creationem eſſe rei ex nihilo productionem, atq; Mundum ita eſſe creatum in tempore, *p* confutatis Philoſophorum adverſariis rationibus, probaſſent; ſubjiciunt, potuiſſe Mundum ab æterno creari. Iſtius enim *q* Quæſtionis [Nũ aliquid a Deo ex æternitate procreari potuit] partem affirmantem defendunt, atque *r* aſſerunt, Non tantum ſubſtantias incorporeas, ut Angelos, ſed etiam corporeas, ſive permanentes, ut Cœleſtia corpora, ſive corruptioni obnoxias, ut homines, &c. potuiſſe à Deo ab æterno produci & effici, atq; in infinitum (ex utraque parte) tempus conſervari. Et hoc neque Deo creanti, neque rebus creatis, neque ipſi Creationis

k Comment. in Ariſt. Phyſ. l. 8. c. 2.
l Quæſt. 1. Art. 1.
m Ib. Quæſt. 2. Art. 2.
n Ib. Quæſt. 3. Art. 3.
o Quæſt. 1. Art. 1.
p Quæſt. 4. Art. 3. & 4.
q Quæſt. 6. Art. 2.
r Quæſt. 7. Art. 1.

tionis Naturæ repugnare, ausi sunt affirmare. *f* Prolatis instantiis de sole, qui, si æterne fuisset, æternum illuminasset (Dei autem virtus minor Soli virtute non est) & de Verbo Divino, quod ab æterno produciti r. At enimvero & in ista ratione, & instantiis, major insit insania, an impietas, non facile dixeris. Ita plane in *t* solvendis rationibus, quibus veritas partis negativæ firmissime probatur, ridiculum certe est, quam se misere & infeliciter in eudendis distinctiunculis torqueant & fatigent. Sed consule, si placet, locum. Libet enim nugas istas omittere, ut & alias ineptias. De anni Tempore quo Mūdus est conditus, An æstivo, autumnali, an vernali; & de die etiam quo creatus est, quem illi *u* magistraliter definiunt eundem esse quo Christus resurrexit à mortuis (Quod factum est die à Creatione octavo) Suffecerit nosse Mundum creatum esse à Deo in *x* Principio (*i. e.*) in initio temporis, vel simul cum tempore, potius quam in tempore. Primum enim instans, & momen-

Quæst. 56. Art. 2.

t Quæst. 6. Art. 1. & 2.

u Quæst. 25. Art. 2.

x Gen. 1. 1.

mentum Creationis, fuit principium omnis subsequentis, non finis præcedentis temporis.

2o Materia Creationis distinguitur duplici modo, prout ipsa Creatio duplex est. Nempe, vel

1 Primaria & immediata. Et hujus Creationis nulla prorsus materia fuit Deo coæva: aut ab eo existens. Etenim Deus principium dedit Naturæ, non per naturam, sed per se immediate. Cumque Deus sit infinitæ Potentiæ, omnem materiam necessariam necessario excludit. Quare Divina Potentia, non ex aliqua præexistente & substrata materia, sed ex Mero nihilo & non ente Naturam Entium primo eduxit. Atque hoc modo creabantur.

1. Substantiæ omnes incorporeæ, & immateriales, & supercœlestes, ut Angeli, & Cœlum Empyreum, & Anima rationalis. Quæ enim Materiæ expertia sunt, ex Materia fabricari non possent.

2. Substantiarum omnium corporearum, & materialium primum principium, & subjectum (si quod erat

rat ejusmodi) ex quo deinde singulæ factæ sunt & constant. viz. Materia prima, ingens illa massa rudis, & indigesta moles, tenebricosa & obscura, partim Aquea, partim Terrea, sicut describitur his Conditionibus *Gen* 1.2. Et à Mose vocatur Terra, ab aliis Chaos. Hanc Materiam volunt existere, tum informem, *i.e* omni forma secūda, distincta & specifica privatam, tum formatam, scilicet communi & *y* prima forma: postea vero per divinam Potentiam specificas omnium corporum simplicium, & mixtorum formas induisse. In qua sententia etsi maximi semper fuerint, tum ex Ethnicorum, tum ex Christianorum numero viri, tamen haud videtur admittenda propter has à multis aliis rationes.

y Kecker. System. logic. l. 1. sect. 2. c. 17.

1. Nulla dari posse ratio probabilis videtur creandi istius Chaos confusi, ex quo deinceps omnia distincta prodirent. Cum Deo aq; facile, & multo magis certe gloriosius fuerat, rerum omnium species & simplas & perfectas primum creare, quam ex

præ-

creata Materia postea extruere; Nisi cum ratio evidens Divini consilii patet, ut in creando Homine.

2. Repugnat natura Materiæ primæ, ut separata, & per se existat, sub forma aliqua Communi, & generali sicut tum necessariò existebat. Quod si dicatur extitisse etiam sub formis specificis omnium corporum naturalium, verum non distinctis, sed inter se confusis & commistis, abhorret ab ista confusione intellectus, cum Humanus, tum Divinus. Neque nos, ut fieret, capimus; neque Deus (confusionis minime Author) factum voluit approbare.

3. Revera, Materia ista non ita informis, ut hi interpretantur, extitit, sed sub formis specificis, & distinctis corporum duorum Naturalium, Terræ & Aquæ sicut describitur, *Gen.* 1. 2. verbis clarissimis. Forma autem aliqua communis distinctionem effiecre non potuit. Neque sine absurditate insigni potest Materia omnium rerum prima dici vel Terrea, vel Aquea.

Itaq; per hæc verba, [in princi-

pio Creavit Deus cœlum & Terram] intelligimus, vel generalem propositionem postea per partes explicandam, vel potius Cœli nomine, partim Substantias spirituales & cœlestes, partim ipsa Sphærarum corpora : & Terræ nomine ipsum Terræ corpus Aquis supernatantibus coopertum, quorum utriusque conditiones mox ver. 2. describuntur (non Chaos aliquod, & Materia prima rerum corporearum) ut in sequentibus exprimetur, cum simus de Creationis forma acturi. Et sic de Primaria & immediata Creatione. Sequitur,

2. Secundaria & Mediata, cum res producitur ex Materia præexistente, & præcreata; ita tamen rudi & indispositâ, ut pro nihilo haberi possit. Sic creatus est Homo ex pulvere, sive limo Terræ, *Gen.* 2. 7. Item Bestiæ & Aves ex Terra, *Gen.* 2. 19. Quod tamen Deus fecit ex mero bene placito, nulla cogente necessitate, nec ipsum in agendo adjuvante materiæ assumptæ Potentia.

3. Forma Creationis, vel respectu Dei,

Dei, vel ratione rerum Creatarum considerari potest. Modus Creationis, quoad Deum, est, Quod Deus non ex necessitate Naturæ suæ Mundum creavit, sed secundũ Voluntatis suæ æternum & immutabile, attamen libertimum Decretum. Quod solo nutu[b] verboq; sine ulla mutatione, fatigatione, conatu, & labore omnia condidit, & stabilivit. Ut libere, ita facile fecit omnia.

Forma, respectu rerum creatarum, est vel

1. Interna, ipsa *viz.* Naturæ vis & potentia, tum rebus omnibus modo & ratione communi; tum singulis speciebus, secundum particularem cujusque essentiam, & conditiones, à Deo impressa. Per quam ad proprias vel communes operationes potentes redduntur.

[b] Gen. 1. fiat &c. Psal. 33. 6. 9. Rom. 4. 17. Psal. 148. 5. Omnes Creaturæ factæ sunt juxta Ideas & formas æternas in mente divina. Act. 15. 18. Exo. 25. ult. Ista autem exemplaria & archetypa in Deo non differũt re ab essentia Dei. Sed sunt ipsæmet essentia Dei concepta à Deo, prout est à Creaturis immutabilis. Atq; hæ Ideæ sunt æternæ & immutabiles. Quas Deus in operando necessario respicit, & sequitur sine Variatione: Artifex potest pro re nata mutare Ideam præconceptam; non sic Deus. In Deo enim omnia continentur relucent, quæcunq; effici possunt. Vid. Pol. Synt. l. 5. c. 7.

2. Externa, partim instantanea rerum omnium productio, partim Dispositio productorum ornatissima, & cum in se, tum inter se ordo pulcherrimus. De priore latius dicamus.

Etsi enim Creatio facta est in momento respectu singulorum corporum sepatatim spectatorum, tamen respectu omnium, non in instanti, sed sex dierum spatio perfecta est. Quæ tamen Dierum interstitia non tempoream ejusdem actionis successionem, sed diversorum operum ordinem denotant, eo fine ut ostenderetur Dei.

1. Potentia in producendis, quoscunque voluit, effectibus, etiam sine causis naturalibus, dum Lucem præbet Mundo, fæcundat Terram, stirpes ex ea elicit, ante creatum Solem & Lunam.

2. Bonitas & Liberalitas, dum Creaturis, etiam nondum natis prospicit, atque animalia in tetram stirpibus & pabulo, homines in Mundum rebus omnibus ad vitæ Necessitatem,

sitatem, & voluptatem instructissimum introducit.

3. Non perfunctorie sed diligenter, & distincte opera Creationis considaremus. Nos igitur singulorum Dierum Opera sigillatim recenseamus. Fuit ergo Opus

Primi dici quadruplex. 1. Cœlum, sub quo nomine comprehenduntur. 1. Cœlum Empyræum primum & immobile, quod vocatur in Scripturis [cœlum *b* cœlorum] *Act.* 1. 11. *Eph.* 4. 10. 2 *Chron.* 6. 18. *Psal.* 148. 4. 2. Intelligentiæ cœlestes sive Angeli. Quorum cognitio vel communior est, vel particularior. Illa versatur in investigandis illorum essentijs, & conditionibus Immaterialitatis, Cognitionis, & Rationis intelligendi Voluntatis, Potentiæ, & Motus, Simplicitatis & Localitatis, atque ejusmodi, quæ etsi in Scripturis traduntur, quatenus sufficit ad salutarem scientiam, tamen in Metaphysicis, aut in aliqua Disciplina Pneumatologica, subtilius & curiosius perquiruntur. Eo rē referamus; Hæc autem respicit Angelorū Statum.

b Item tertium Cœlum Paradisus Sanctarinm Patria, Sinus Abrahæ. Hoc Cœlum corporearum est etsi subtile & lucidum.

tum, sive Integritatis, sive Lapsus, atque etiam Officia & Ministeria, de quibus acturi sumus, partim in sequenti capite de Dei providentia (cujus Ministri Angeli sunt) partim inferius, cum de peccato tractabimus. 3. Cœli nomine possumus intelligere ipsas Sphæras cœlestes, quas primo die creatas fuisse haud vero absimile est: Creatas scilicet primo die, sed sine luminibus istis Stellarum, quibus quarto demum die adornatæ sunt.

c Quæ Massa vocabatur inanis & Vacua respectu ornatus illius pulcherrimi, qui postea erat introducendus, &c.

Secundum & tertium Opus, erat Terra & Aqua inter se conjunctæ: Aqua enim supernatavit. Terram, totamque ejus superficiem circumambivit, & fermentabat, & limosam efficiebat *c*.

d Sic Jun. in Gen. 1. 3.

Quartum Opus, Lux erat extraordinaria plane, neq; in quo Subjecto hæsit certo constat. Sive illud Aqua fuerit, in tenuioribus superficiei partibus: sive *d* ignis, qui tamen primo die creatus fuisse non videtur: sive Sphæræ cœlestes, quod

e Imo plane verum.

e verisimilius est.

Secundi Dici fuit, 1. Expansum

sum רקיע. Vastissimũ illud spatium inter Terrã & Æthera comprehendens Elementa Aeris & Ignis. Hoc spatium Cœlum vocatur, (*v.* 8.) tum plurimis alijs locis in Scriptura. 2. Divisio Aquarum superiorum ab inferioribus. [*i. e.*] Nubium, quæ in media Aeris regione sunt; a Fontibus, Fluminibus & Mari quæ sub infimam regionem residunt. Nubium seu Aquarum supra Firmamentum nomine possumus intelligere omnia Meteora, tum Aquea, tum ignita, quæ tum in Causis suis creata sunt.

Tertii diei opus triplex fuit. 1. Aquarum inferiorum in unum locum confluxus, qui appellatus est Mare. 2. Exsiccatio Terræ, ut esset alẽdis animalibus & Plantis apta. 3. Germinum & Plantarũ omnis generis productio, *Gen* 1. 9, 10, 11, 12. 13.

Quarti diei Luminaria, tum majora, Sol & Luna; tum minora, ut reliquæ Stellæ

Quinti dici, Pisces & Aves.

Sexti dici opus duplex: 1. Animalia omnia Bruta terrestria. 2. Ho-

mo mas & fœmina. Adam ex pulvere terræ, quo haberet humilitatis argumentum & ſtimulum in ipſo ſinu ſuo, nec ob excellentiam adverſus Deum inſolesceret. Eva autem ex coſta Adami in ſignum arctiſſimæ Conjunctionis, & amoris inter virum, & uxorem colendi. In Homine vero ceſſavit Creatio, tanquam, 1. In perfectiſſimo Divini artificii opere. 2. In Fine cui reliquæ deſtinatæ ſunt. Adamo enim velut Principi & Domino cæteræ Creaturæ, ut Mancipia, Creatoris benignitate addictæ ſunt.

Ex his omnibus quæ de Forma Creationis dicta ſunt, oritur illud, quod vel preſtantiſſimæ Formæ locum obtineat. Nempe.

Bonitas

Bonitas Creaturæ, quæ est excellentia Naturæ Dei, efficaci operatione ei indita, ex pers omni defectus, Deformitatis, & Mali sive Culpæ, sive Pœnæ. Erat enim omnia quæ creabantur, Valde bona. *Gen.* 1. 31. Est vero hæc Bonitas duplex.

Bonitas
- in Se
  - Essentiæ.
  - Qualitatibus.
- in Aliud
  - Deum.
  - Homines.
    - Agendo.
    - Patiendo.
  - Se mutuo.
    - Agendo.
    - Patiendo.

1. Generalis omnium Creaturarum, *viz.* Integritas & perfectio omnium Donorum, & virium Naturalium, quibus potuit suas exercere operationes conformes Divinæ Voluntati, & ordinatas, ad proprium Finem.

2. Specialis Creaturæ rationalis,

Angelorum, & Hominum, qui donis ſupernaturalibus ornati ſunt, quæ vocantur Sanctitas, ſive Imago Dei. *Gen.* 1. 26. De qua infra dicturi, cum de triplici Hominis Statu tractabimus. Sed de Forma, Reſtat ultimo Loco.

4. Finis ultimus atque ſummus, operantis, eſt Dei Creatoris Gloria in illuſtranda ſua Potentia, Bonitate, & Sapientia. Quas Dei virtutes in omnium Creaturarum Exiſtentia, Excellentia, Ordine, & mirabili Artificio eluceſcentes, voluit Deus a Creaturis rationalibus agnoſci & celebrari. *Pſal.* 19. 1. *Pro.* 16. 4. *Pſal.* 104. 24. *Rom.* 11. 36. 2. Proximus autem eſt ipſius operis: Vt omnia ſuis uſibus Homini inſerviant, præcipue vero ad Electorum ſalutem promovendam. *Gen.* 1. 28. *Pſal.* 8. 4, 5, 6, &c. 1 *Cor.* 3. 22.

2 Tum etiam prudentiſſima rerum gubernatione, & adminiſtratione, ut *Pſa.* 40. 26.

De

De Providentia.

CReationē ſequitur Doctrina de Providentia Dei. Sicut enim res ſine Deo non exſtitiſſent, ita non poſſunt ſubſiſtere ſine Dei Providentia. Proximum itaque eſt, ut Divinam Adminiſtrationem in Mundo regendo conſervandoque, quantū poſſumus, explicemus Qua in re Duo inveſtiganda veniunt.

Quod ſit Providentia qua Mundus gubernatur.

Quid ſit. Illud enim à multis impie negatur, hoc vero in multis eſt obſcurum & difficile.

Primo. Quod ad primum. Dari Providentiam aliquam Mundi Gubernatricem, & ſi non tantum Epicuri de gtege Porci plane inficiarentur, & Stoici Deum Neceſſitatis vinculo, cauſis ſecundis alligantes, & deniq; Peripateticos cogitantes Deum neglecta particularium cura, univerſaliorum tantum cauſarum, (ut motuum cœleſtium, &c) actiones

nes moderari, & regere: verum etiam omnibus fere nonnulla dubitatio exoriatur, propter.

1. Innatam Superbiam, bona Deo accepta ægre referentem.

2. Carnale Judicium, cui fortuita omnia videntur, præsertim Voluntates Hominum.

3. Mentis Angustias, Deum nostro modulo metientis, & omnium rerum administrationem, vel difficilem, vel impossibilem, vel indignam Deo arbitrantis.

4. Obscuratam ex Lapsu hujus rei Cognitionem, & ex eodem fonte ortum declinandi conspectus Divini studium.

5. Confusiones & peccata; quæ (Mundum Deo gubernante) vix fieri posse videntur: Tamen credit Ecclesia & docet nihil in Mundo fieri, sine certo, & definito Dei Consilio; atque circa veritatem certissimi hujus & summe necessarii totius Religionis fundamenti, validis se communit Argumentis, contra Errorum, & Opinionum Impietates. Ea sunt hujusmodi:

1. Fides

1. Fides ſacræ Scripturæ teſtimoniis infra recenſendis, innixa, & ſtabilita.

2. Rationes Demonſtrativæ, petitæ.

1. A Poſteriori; Ex operibus Dei, ut, 1. Ordo Rerum ſapientiſſimus, cum Naturalium, tum Politicarum, quià Natura bruta, aut caſu, aut fortuna conſtitui non potuit: nedum conſervari. 2. Notitiæ naturales, ſeu Lex Naturæ in diſcrimine honeſtorum & turpium. 3. Quies vel cruciatus Conſcientiæ ex obſervata vel violata Lege iſta. 4. Pœnæ & præmia factis hominum congruentia: quæ probant Judicem eſſe aliquem hujus univerſi, qui Leges tulit, & vindicem ſcelerum, cujus ſeveritatem effugere non poſſimus. 5. Motus Heroici, virtutes & Dona ſingularia Principibus, Magiſtratibus Artium inventoribus, Artificibus, &c. a Deo data in utilitatem communem humani generis. Quæ etiam ſalutaria organa tollit, cum Gentem, vel Seculum puniturus eſt. Cujus rei exempla omni ætate plurima reperiuntur,

periuntur. Denique iisdem rationibus, & Deum esse, & Providentiam dari confirmatur. De quibus in Capite de Deo, supra.

2. A Priori, ab Attributis & Natura Dei.

1. Deus est; ergo est Providentia.

2. Omnipotens Dei Voluntas, per quam omnia fiunt; sine qua nihil potest contingere.

3. Infinita Sapientia, qua potest rebus omnibus, quæ in suo regno geruntur, interesse; ut nihil sine ejus consilio fiat.

4. Justitia in distribuendis præmiis, & pœnis: Atque Bonitas, qua se Creaturis communicat.

5. Præscientia rerum omnium, immutabiliter pendens à Consilio, & Decreto Divino.

6. Curat fines rerum; ergo & media ad illos fines.

7. Est prima Causa, ergo secundæ ab illa pendent. Et Natura, ut Dei instrumentum, acta ab illo principio universali agit, & mota movet se, aliaque secundum se.

Quid

Quid sit Providentia, proximo loco videndum est. Per Providentiam non intelligimus Præscientiam, vel præfinitionem omnium rerum in Deo; sed temporalem & externam executionem istius Decreti in actuali rerum administratione. Ita ut PROVIDENTIA sit, Actio Dei externa, & temporalis, qua Deus omnia & singula, quæ sunt fiuntque, tum Creaturas, tum Creaturarum facultates & actiones conservat, gubernat, disponit, & ad medio, ultimumque finem determinata modo dirigit secundum liberrimum Decretum, & consilium Voluntatis suæ; ut ipse in omnibus glorificetur, in qua definitione explicanda tria nobis perpendenda veniunt. 1. Objectum. 2. Gradus. 3. Species providentiæ.

1. Objectum Divinæ providentiæ. Materia autem circa quam versatur, est, ut verbo dicam, Res omnes: Specialius autem possumus eas distribuere in Res quæ *1 Objectum.*

§ 1. Sunt, & Naturam habent permanentem, sive illæ sint.

1. Sub-

1. Subſtantiæ & Eſſentiæ Creaturarum, vel immaterialium, vel corporearum, quocunque modo, ſive in genere, & ſpecie communiter, ſive particulariter in Indiv. duo ſpectentur.

2. Accidentia, ut Quantitates, & Qualitates omnium rerum: Nec eæ tantum, quæ ſunt Naturæ communis in ortu & integritate ſua; ſed etiam illæ, quæ annaſcuntur Naturæ particulari, ex lapſu aliquo, & Defectu. Atque utraq; hæc rerum genera ſubjacent Divinæ providentiæ, ut quoad Naturam, ita quoad uſum, quatenus ſunt vel.

1. Fines ultimi aut intermedii

2. Media ad fines, ſive ordinaria, ſive extraordinaria, ſive neceſſaria, ſive contingentia.

§ 2. Fiunt, quæ Naturam habent fluxam, & in tranſitu, ut omnes Creaturarum Actiones, Operationes & Motus, necnon paſſiones, quæ diſtinguuntur duobus modis: Ratione.

* 1. Principiorum & Cauſarum efficientium, atque ſunt vel.

1. Naturales, quæ a Natura per se efficiuntur, sine Voluntatis actu aliquo. Cujusmodi sunt Actiones omnium inanimatorum atque Viventium & Animalium Brutorum, sive oriuntur a Natura communi, seu particulari instinctu, inclinatione naturali. Quinetiam Hominis, quoad istas Naturas genericas, & ut Appetitus suus Voluntarius naturalis instinctu ducitur. Cujusmodi sunt, Vivere, Edere, Bibere, &c.

2. Voluntariæ, quæ a principio singulari voluntate, scilicet, rationali, & intellectiva producuntur, ab Angelis & Hominibus. Idque vel per Consilium, & Deliberationem, & dicitur, Voluntas electiva; vel ex inconsulto impetu, quæ est Voluntas per Causam.

* 2. Qualitatum duplicis generis.

1. Vel.

¶ 1. Necessitatis, ut quæ aliter fieri, aut esse non possunt. Hæc Necessitas duplex est.

§. 1. Absoluta, quomodo necessaria sunt.

1. Na-

3. Naturæ principia, per se, & per omnia immutabiliter & infallibiliter necessaria. Ut [Totum majus parte. Bis duo sunt quatuor.]

2. Quæ oriuntur ex Naturæ principio intrinseco.

1. Materiali, [Compositum ex contrariis necessario interit. Corpus est quantum.]

2. Formali, [Ignis urit, Grave deorsum tendit.]

§ 2. Hypothetica, Necessitas Conditionis & consequentiæ: Quo modo necessaria sunt, quæ in suppositoaliquo Naturæ Principio interno aut externo, necessitatem induunt. Ut [Dato vacuo, aer necessario descendit, & aqua ascendit.]

§ 2. Contingentiæ, quæ aliter fieri possunt, aut quæ poterunt esse, vel non esse. Hujusmodi proprie sunt, quæ accidunt individuis & singularibus, sive oriantur à Causis; naturaliter agentibus, ut Casus sive à voluntariis, ut, quæ per Fortunam fieri dicuntur, ut [Jactus aleæ, Sortitio, si Tegula subeuntis caput in lapsu conterat]

2. Vel

2. Vel

1. Bonitatis,
2. Malitiæ, } sive Naturalis; quæ est ex communi conditione principiorum Naturalium in Naturalibus Actionibus; sive Moralis, ex singulari principio oriundæ in Actionibus Voluntariis.

Ad hæc omnia, non tantum quæ magna sunt & ardua, sed etiam minima, & viliſſima, Divina Providentia se extendit. Quæ variis Scripturæ locis confirmari potest; tum generalibus, ut, *Eph.* 1.5. *Psal.* 94.8. Ex *Act.* 17. 25. 28. *Eccles.* 3. 1. 11. 1 *Sam.* 2.3. *Lament.* 3.37. tum specialibus de rebus naturalibus & necessariis, ut, *Psal.* 147.89. *Psal.* 136. 25. *Mat.* 6. 26,30. *Psal.* 104. fere totus; *Iob* 37. 2. *&c. Iob* 38. *Isa.* 51. 15. *Psal.* 135.7. Ubi cura Dei de Brutis, Vegetantibus, Meteoris omnibus, &c. describitur. Item de rebus Voluntariis, sive Actionibus humanis bonis malisque; ut *Pro.* 16. 1,9. *Ier.* 10. 23. *Psa.* 139. 1. *&c. Psa.* 33. 13, 14, 15. *Iob* 12. 20. De Honoribus. *Psa.* 75. 6,7. Calamitatibus, Morbis, Pœnis, ejus-

ejusmodi. *Amos* 3.6. *Iob*. 5.18 *Iob* 12. 14. 15. *&c.* 1 *Sam.* 2.6,7,8. *Isa* 45.7. Regnum publicarum periodis. *Dan* 2. 21. *Dan.* 4.32.35 De Actionibus Hominum particularium, ut Cyri *Isa.* 45. 13. Omnium Regum. *Pro.* 21. 1. Judæorum contra Christum. *Act* 4. 27,28. Shimei maledicentis. 2 *Sam.* 16 20 Regis Assyriæ. *Isa.* 10.5. Fratrum Josephi, *Gen.* 45. 8. & *cap.* 50. 20. Sic irritum fecit consilium Achitophelis. 2 *Sam.* 17. 14. Et Gentium. *Psal.* 33. 10. Item de rebus fortuitis & Contingentibus. *Exod.* 21. 13. Homicidium inconsultum. *Prov.* 16. 33. Sortes. Sic in Calamitatibus Jobi. *Iob.* 1. 21. Lapsus passorum. *Mat.* 10. 29, 30.

Tam late igitur diffunditur Providentia, quam ampla est ipsa rerum Universitas. Nihilque ejus curam fugit, non ipsæ quidem rerum Minutiæ, quin has etiam Deus regit, & ordinat pro libitu Voluntatis suæ. Nec passerculus in terram labitur, nec de capite capillus, vel de arbore folium cadit, sine cœlestis Patris Providentia, Nempe etiam

etiam hæ res Essentiam bonam habent, & Usum, Finemque bonum, etsi Nobis sæpius incognitam Ut igitur illam habent à Divina Potentia creante & conservante, ita in hunc per Divinam Sapientiam, Providentiam & Bonitatem disponuntur, & determinantur.

Sunt, quia Deus voluit Esse: neque minima creasset, si minima contemneret. Sic de objecto. Sequuntur.

2. Gradus seu Partes, seu Actus diversi Divinæ Providentiæ, qui exercentur circa Objecta ante enumerata. Hi sunt, 2 *Gradus.*

§ 1. Conservatio, προνοια κατ' οἰκονομίαν, quæ duplex est.

* 1. Existentiæ, quæ est continuatio rerum per Creationem existentium. Tum

1. Specierum, ut Humani generis, &c. quas Deus continua successione, & generatione perpetuas efficit.

2. Individuorum, quæ conservantur à Deo ad tempus, quamdiu ipsi visum erit.

* 2. Vir-

* 2. Virtutis, quæ est proprium cujusque Creaturæ virium ad operationes, & perfectiones ejus pertinentium, sustentatio, motio. Utraque describitur, *Act.* 17. 28. [In eo vivimus, moventur & sumus] 1 *Tim.* 4. 10. [σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων] dicitur. & *Iob.*

Hic vero circa dependentiam rerum & Actionum à prima illa, & universali Causa, duæ notandæ sunt regulæ.

1. Principium primum sic agere in Principiis inferioribus, ut nihil de illis detrahat; sed integras relinquat Actiones ipsorum ordinarie. Sic enim Deus agit, ut ipsa intra im proprios motus exercere & agere sinat.

2. Principium illud primum agere per inferiora, secundum inferiorum modum, & rationem. Quotiescunque enim multæ causæ coordinatæ incidunt: Effectus ultimus non sequitur Causam primam Necessitate vel Contingentia; sed Causam proximam. Unde Fatum Christianum naturale, nempe series, & ordo Cau-

Causarum naturalium, à prima Causa dependentium, quæ nisi ab eadem impediantur, vi & Natura eosdem producunt effectus,

§ 2. Gubernatio seu Rectio, qua Deus jure Monarchæ de omnibus rebus statuit, & disponit, easque regit pro libertate voluntatis suæ. Est hæc gubernatio plane Monarchica, & ordinatissima; quia una, & summa atque absolutissima; quia penes Deum, ut absolute consideratur authoritas. Jus atque Dominium est absolutum, & merum in omnes Creaturas, ut possit de iis statuere quicquid ei libitum est, & disponere in fines, quoscunque ei placitum erit. Actio vero Dei gubernantis, est in genere duplex. Jus Vitæ & Necis.

1. Permittens (ἐφετικὰ κατὰ συγχώρησιν) cum Deus actiones Creaturæ non inhibet: sed Agenris voluntati permittit earum modum. Idque Vel

Simpliciter & absolute, cum permittit id quod posset immediate inhibere, ut [Adamum permisit labi] Vel;

Ex

Ex suppositione aliqua, humanæ conditionis aut infirmitatis Sic Repudium Judæis permittit, ob duritiem Cordis, & alia multa in veteri Testamento.

2. Perficiens & agens (πρόνοια κατ' εὐδοκίαν) qua Deus perficit, & efficaciter agit in rebus omnibus & singulis, quicquid sui Operis est: sive quicquid est Bonum natura communi aut singulari. Hæc cernitur & dignoscitur multis modis: In

1. Præcipiendo, sive Legum præscriptione, qua Deus ut summus Monarcha & Legislator Creaturis rationalibus leges & Nomas agendi ponit & promulgat.

2. Executione Justitiæ, sive distributione Præmiorum, & Pœnarum: cum Deus subditos defendit, & remuneratur; rebelles autem pœnis condignis plectit. In qua tanta est æqui bonique observata ratio, ut Bonis in hac vita nunquam g Male, & malis nunquam Bene (proprie legendo) contingat.

g Rom. 8. 28.

3. Ordinationem, qua Deus omnes res, omniumq; Res, Actiones & Mo-

Motus, in ſuum ordinem (quamvis inordinatiſſima ſint) & ad certos fines diſponit, & perducit admirabili ſua ſapientia. In hac ordinatione Deus tria efficit.

1. Conſtituit rebus omnibus, ut formam; ita Fines ſuos, vel proprios & proximos, qui naturales ſunt; vel ultimum illum & Communem, ſupranaturalem, *viz.* Gloriam ſuam in Juſtitia ſua, & Gratia.

2. Media omnia in hos fines diſponit.

3. Diſpoſita efficaciter promovet, & modis ſapientiæ Divinæ cognitis, ſive revelatis, ſive occultis, in fines ſtatutos deducit.

Atque hæ ſunt Actiones Providentiæ communiter ſpectatæ: Proximum eſt, ut de iis dicamus particularius in relatione ad ſingula ſubjecta, ſive objecta Providentiæ. Itaque,

1. Naturæ & Eſſentiæ rerum, omniaq; Accidentia naturæ Integræ, Divinæ ſubjacent Providentiæ, modis omnibus, conſervationis, gubernationis, efficacis & ordinationis.

Accidentia vero Naturæ lapsæ et deficientis gubernantur permissive, & ordinantur efficaciter.

2 2. Fines rerum & Media cujuscunque generis ad eos ducentia omnibus modis constituuntur, reguntur, & ordinantur à summa Providentia.

3 3. Actiones omnes, Naturales & Voluntariæ subjacent Divinæ Providentiæ.

1. Conservanti, Deus enim rerum Naturas, & Libertatem Voluntatis conservat.

2. Gubernanti, efficienter & moventi, Quia Deus, ut Principium Universale, reliqua Principia movet, ut agant.

3. Ordinanti, quia Deus omnes Actiones Creaturarum in fines ipsis præfixos disponit, & dirigit.

4 4. De rebus Necessariis & Contingentibus, cum major sit difficultas, earum Naturam altius repetendo scrutabimur.

Necessitas & Contingentia est ordo scrutabilis, vel inscrutabilis inter Causas & Effectum.

Ne-

Necessitas duplex est,

1. Absoluta, & simplex, eorum quorum Oppositа sunt impossibilia, atque implicant contradictionem, cum natura Causæ & subjecti; ut [Deus est bonus infinitus, &c. sic omnia Principia Naturæ [Idem non potest esse, & non esse] Totum est maius parte] &c. atque omnes propriæ passiones Essentiam consequentes, sub quarum oppositо, subjectum sine contradictione concipi non potest; ut, [Homo est risibilis, Voluntas libera, Ignis est calidus,] &c.

2. Consequentiæ ex hypothesi & conditione, quæ est eorum, quorum oppositа non sunt absolutè impossibilia, aut contradictoria, sed quibusdam positis aliter esse non possunt; quæ tamen poni, non fuerat necessarium. Estque ex triplici Conditione.

1. Decreti Divini immutabilis; Quod enim Deus decrevit, necessario fit, tamen libertate: quia ab æterno potuit, vel non decernere, vel alio modo decernere. Sic Mun-

dus necessario creatus est. & hac quidem Forma. vid. *Matth.* 26. 53. 54.

2. Causarum secundatum Naturalium, 1. quæ sic à Deo sunt conditæ, ut jam existens, non impeditæ nec mutatæ, non possunt aliter agere, quam agunt: sed sunt determinatæ ad unum oppositorum, quæ tamen vel non existere omnino, vel impediri, vel mutari ab illo poterant. *Sic* ignis urit necessario: à Deo tamen Babylonicus impeditus est. 2. Vel quæ sic sunt à Deo conditæ, ut sint indifferentes ad oppositos effectus producendos, vel suspendendos: tamen vel à Deo, vel ab aliis Causis ita moventur, ut necessario determinentur ad unum oppositorum. Quæ tamen aliæ Causæ mutari poterant.

3. Existentiæ, vel { Actionis ipsius Causæ. / Rei ipsius causatæ. } Causa enim quæ contingenter & oppositè poterat agere, quando tamen

uno

uno modo agit, non potest non sic agere. Similiter, qui Contingens erat fore, quando tamen fuit aut est, non potest non esse aut fuisse. Quia duo Contradictoria non possunt esse simul vera.

Sic de Necessitate. Contingentia est immutabilitas opposita Necessitati. Estque duplex:

1. In Universali, ipsa nempe Contingentia, quæ necessitatem quandam implicat: quoniam necesse est, ut detur Contingentia, cum rerum modus, atque Natura ita postulet, ut, aliæ res sint necessariæ, aliæ Contingentes. Cujus rei fontes duo sunt.

1. Libertas Voluntatis Divinæ, Angelicæ, & Humanæ.

2. Materiæ Elementaris Natura mutabilis, & instabilis, atque ad varios motus formasque aptitudo & inclinatio.

2. In particulari respectu particularium omnium Causarum & Effectuum, inter quæ mutabilis & incerta est dependentia. Idque triplici ra-

ratione, & respectu.

1. Potentiæ Libertatisque primi agentis, & primæ causæ, quæ cum sola sit natura immutabilis potest pro libitu omnes Causarū secundarum vires & operationes mutare, ut vel non agant, vel alio modo operentur, quam quo per Naturam suam debuerunt. Etsi enim ad certos effectus sint à Deo ordinatæ: tamē mutabiles sunt, & subjectæ Divinæ Gubernationi operationi per eas, vel contra vel præter ordinem illarum. Adeoq; Nihil in Mundo tam certum est, quod Deus incertum reddere non possit; iis exceptis, quæ implicant Contradictionem. 2. Propriæ Naturæ Causis secundis à Deo inditæ. Quando ex sua Natura contingenter operantur; neque ad unum magis quam alium effectum determinantur; sed ad plures sunt indifferentes & æquales dispositæ. Ut [Fluxus Ventorum; Motus localis Animantium; Actio Voluntatis Humanæ.]

3. Accidentes alicujus, quando Causam aliquam per se agentem,

Ef-

Effectus ex accidente aliquo contingentēr sequitur, Ad quem sua vel intentione, vel Natura non erat ordinata. Ut fit in omnibus Causis accidentariis, sive Voluntariis, in quibus Fortuna est; sive naturalibus in quibus inest Casus. Ut [Qui excussa sagitta Corvum prætervolantem transfixerit. Concha ex ore Aquilæ ad stacturam dimissa, Poetæ in rupe sedenti cranium confregit. Item exempla Tegulæ, Securis, Inventionis Thesauri, & Tripodis à Piscatoribus & Fossoribus. In quibus & sexcentis similibus, connectio & ordo, qui est inter Causam apparentem, & Effectum, contingens plane est & mutabilis si propriam Naturam illius Causæ spectes, quæ ad unum alium effectū per se erat determinata, & non ad hunc, qui accidentaliter evenit Ut Tegula ad descensū ordinata est, non ad cædem. Fossio ad commodum Vinearum, non repertionem Auri. Hoc tum respectu nostri sensus Judicii: tum respectu Naturæ Causæ manifestæ & apparentis, contingenter accidit; quamvis ratione

tione alicujus causæ per se occultæ nobisque ignotæ, quæ Causis per accidens adjuncta est, iste eventus necessario sequebatur, neque aliter fieri poterat.

His præmissis de re summa, sic verisimiliter statui potest.

1. Effectum opus est Divinæ Providentiæ aliquid evenire, quocunque modo: sive Contingenter, sive Necessario. Ideo enim evenit Necessario, quod Deus disposuerit necessario evenire: ideoque Contingenter, quod contingenter voluit accidere. Deus enim hanc Naturam & proprietates rebus indidit ut secundum hunc rerum modum à se constitutum conservatumque facit (vel mediate, vel immediate, ut Principium universale) ut Res utroque modo se habeant: atque ex Causis necessariis, necessarii ex Contingentibus, contingentes effectus producantur.

2. Aliud esse evenire Necessario, aliud Contingenter, aliud infallibiliter. Illa duo notant ordinem inter Causam & Effectum: hoc autem

tem Communis est, quia tam Contingentia, quam Necessaria eveniunt infallibiliter: sed illa contingenter, hæc Necessario. Itaque notentur duæ Regulæ utilissimæ.

1ª. Effectus omnes denominantur necessarii, vel contingentes, non à Causa prima, & remota, sed à Natura Causarum proximarum necessaria, vel contingente.

2ª. Necessitas Consequentiæ non tollit Contingentiam. Ideoque Effectus omnes, qui recte possunt dici Necessarii, vel potius infallibiles respectu Causæ primæ & Universalis (*viz.*) Decreti & Providentiæ Divinæ, respectu Causæ secundæ & proximæ, Contingentes merito habentur. Quare Providentia non tollit Libertatem Voluntatis Humanæ, quam nullo modo cogit.

3. Ex omnibus patet, Dei Providentiam versari circa Contingentia, & Necessaria.

1. Conservando utrumque Naturas & Existentias.

2. Gubernando efficaciter, vel permissive.

3. Disponendo denique in finem præstitutum.

5 50. Ultimo Loco, de Bonis & Malis actionibus, differere oportet. Quo modo circa illas Divinæ Providentiæ efficacia versetur. De Bonis nulla est Controversia: (has enim simpliciter vult.) Omnis difficultas circa malas habetur. Breviter rem perstringemus.

Malum duplex est:

1. Pœnæ, ut omnis destructio, afflictio, & defectio Creaturæ rationalis: Quibus Deus punit peccata. Hoc Malum, etsi sit Creaturæ malum, tamen in se Bonum est. Mortis, quia est executio Legis, & declaratio justitiæ. Quare Deus, Judex Mundi, & vindex Justitiæ atque Gloriæ suæ, illud vult, efficit, determinat & ordinat, *Jer.* 21. 8. *Amos* 3. 6. *Isa.* 45. 7.

Culpæ, & est peccatum, quod duplicem ratione subit, Boni & Mali. Malum est deesse summum Bonum, *viz.* Deus, non tamen summum Malum, quod cum aliquo Bono non sit conjunctum. Nam summum Malum

omnem

omnem tollit Bonitatem, & Naturalem, & Moralem. Et sic penitus destruit subjectum, & tandem in purum Non Ens evadit. Itaque in peccato recte distinguitur Ratio Boni, & Mali ratio.

Peccatum autem,

1. Malum est in se & per se, quatenus est Pravitas, Defectus, & Deformitas, pugnans cum Dei Natura, Justitia, & Bonitate. Et hoc dicitur Formale peccati. Cujus respectu Deus simpliciter non vult, non efficit, non probat, non adjuvat Peccatum, *Psal. 5. 4.* [Tu non es Deus volens Iniquitatem;] Permittit autem, id est, non impedit quo minus fiat à Diabolo & Homine. Quæ permissio quatenus in ipsum Formale peccati respicit, pura est Voluntatis remissio, & mera negatio omnis efficaciæ circa Peccatum. Quia quatenus est Peccatum, & quia est peccatum, Deus illud nec vult, nec producit; quoniam voluntas summe bona, nec vult nec producit nisi optimum. Quod si dicatur Malum quatenus Malum non potuisse

Esse;

Esse; nisi Deus illud ita voluisset: Dicimus illud esse, velle Naturam Mali; aliud velle Existentiam Mali. In illo enim Voluntas terminatur in ipsa Mali Malitia, sive in Malo, ut est in se Malum. Quod dici de Voluntate Divina sine Blasphemia non potest. In hoc autem ulterius tendit, & terminatur in Mali existentia. Hæc enim res bona est. Bonum enim est, ut Malum existat: velle autem, ut Malum sit, illud non est velle malum in se, sed propter Eventum. De qua re infra.

* 2. Bonum est duplici respectu.

¶ 1. Subjecti, quia inest in Bono subjective, *viz.* in Natura, & in Motu, Inclinatione, & Actione aliqua Naturali, quæ à Deo est, & hoc vocatur Materiale Peccati. Has actiones, in quibus peccatum inest, Deus efficaciter vult, ciet atque regit. Ille enim conservat eam, quam dedit, Naturam, quæ Naturalium; & Voluntatem, quæ Voluntariarũ Actionum principium est, vi sua determinans Motus suos, & libere, ad actiones quasvis indeterminatas inclinans,

inclinans. Deinde ſuſtētat Voluntatē ut Rem Naturæ, principio communi: & actiones naturales & voluntarias movet principio ſingulari. Quare Una eademque Actio poteſt Bona ſimul Eſſe & Mala ſecundum Principiorum differentiam. Bonum ſecundum genus, quatenus à Deo & Natura communi eſt. Nam Deus & Natura per ſe nunquam non bonas actiones edunt: Mala autem ſecundum rationem particularem in Homine, qua corruptus eſt. Omnis enim actus vitioſus ſuſcipit Neceſſitatē Vitii à *b* Cauſa proxima, quæ eſt Voluntas peccantis. Quæ propter agnatam corruptionem, Hominem, & quæ hominis ſunt, inficit; & cum ſit Actionum Principium internum, corruptionis iſtius Vim ac vitioſam Qualitatem, actionibus infundit immediate. Principalitas, ſcilicet, Cauſalitatis omnis, in peccato, conſiſtit penes Voluntate, quæ imperat actum. Hunc Dei circa Malas actiones Concurſum, quamplurima teſtantur Scripturæ loca, ut *Gen.* 45. 8. [Non Vos miſiſtis] ſed Deus

b Ut in Catena, non alter quam proximus annulus, in vitio, ac culpa eſt, quod Catena frangitur.

Deus misit] *Deut.* 2. 30. [Deus induraverat spiritum Sihonis] *Psal.* 105. 25. [Deus mutavit animum Ægyptiorum, ut odio haberent Populum suum] Deus scilicet suum Opus Bonum, in & circa malis Hominum operibus perficit, illis neque coactus ad Malum, neque de Bono cogitantibus. Est vero hic Concursus, non nuda & otiosa speculatio: i. d. operans Permissio (*i.e.*) quæ ita permittit, ut aliq. id interim efficaciter & positive agat; quod sit triplicter.

1. Subtrahendo Gratiam & Auxilium, cum Creatura in agendo deseritur, & sibi ipsi relinquitur. Ut in Adamo denegavit copiosum efficax, quo vires Voluntatis ejus, quas sufficientes habuit, efficaciter Peccato resisterent. Ita quoque Lucem subtrahit, non illuminando Mente agitionem Voluntatis suæ. Ut *Deut.* 29. 4. [Deus non dedit Cor ad intelligendum] &c. & non patefaciendo Voluntatem Creaturæ, qua illud Opus fieri velit. [Ut, *Rom.* 14. 22, 23. in illis qui comedunt dubitante

rante Conscientia.] Quando autem auxilium hoc modo subtrahitur; Creatura Necessario quidem, sed tamen libere peccat. Non potest non labi, & errare: præpendet tamen ad lapsum, & errorem sponte & vitio proprio, non coactione & impulsu Divinæ Voluntatis. Ut enim Sol causat Tenebras, non inficiendo Aerem, sed occultando lucem; & baculus humi cadit, à manu non impulsus, sed relictus; & regio ab incolis deserta abundat feris, non hominum culpa sed carentia; ita Deus peccatorum author est, non infundendo malitiam, & vitiosam aliquam Qualitatem hominū cordibus, aut voluntates eorum interne & efficaciter flectendo, cogendove ad Malum, sed eas in Actione sua deserendo, & ad obedientiam non flectendo, ut Deo sint conformes; unde statim ipsæ propria sponte vergunt ad ruinam & Peccatum. Deus felicem multos eripit, neminem dejicit, & detrudit, multos sanat, neminem vulnerat, à tentatione multos liberat, ipse nemi-

nem

nem tentat, ipsimet nos derelictos seducimus, & corrumpimus. Denique, per ipsum quidem stamus, sed ex Nobis cadimus, & nostra culpa eo perintendente perimus. Cum enim is qui permittit inhibendi potestatem habeat, sine ulla obligatione, & is, cui permittitur, agendi sine ulla coactione, actus utrobique est Voluntarius in priore absque Culpa, in posteriore absque excusatione.

2. Movendo & excitando, quoad Materiale Peccati. Deus enim ut Principium commune, Naturam, & quæ secundum Naturam sunt Actiones, motusque conservat, & ciet, ut ante dictum est. Excitantur autem Motus, & inclinatione, ad peccandum: cum

1. Removentur Impedimenta, quæ obstaculo erant, quo in peccata libere prorumperetur.

2. Proponuntur Objecta in se vel bona vel indifferentia; talia tamen, quibus innata impiorum Corruptio, exardescit magis. Ut sunt Legis & Evangelii prædicatio, præcepta,

cepta, promissiones, minæ, adhortationes, cogitationes item mentibus inditæ, & similia (ut Divitiæ, quoq; & Honores, &c.) quibus ut per antiperistasin calor; ita corruptio inflammata ferocior & magis impotens evadit. Vid. *Rom.* 7. 8.

3. Determinando peccatum, dum Actionibus peccantium, modum præscribit, ne latius serpat, atque propagetur peccatum, magisq; noceat, vel aliis, vel ipsi peccatori; quam Deo visum erit. *Psal.* 76. 10. [שארית חמת תחגר] *Pro.* 16. 9.

¶ 2. Finis, hujus respectu peccatum bonum est, quia est ad bonum reductive. Deus enim admiranda sua sapientia inde quod Bonum est elicit, atq; ad id quod Bonum est ordinat. Peccatum quidem in se ἀταξία est & mera confusio, neque εὐταξία ordinemque recipere potest; per accidens tamen ex infinita Dei sapientia ordinatissime disponitur, & præter Naturam suam peccantisque voluntatem in Bonum convertitur, atque deducitur. Exemplo potest esse Scelus Iudæorum

dæorum in Domino crucifigendo: in quo maxima erit rerum omnium confusio si nostrum spectemus Judicium; at Divina manus, & consilium ista omnia præviderat, sapientissimoque ordine in finem longe præstantissimum disposuerat. In illa enim quam Humana corruptio rebus attrahit confusione, optimus justitiæ, & bonitatis ordo semper latet [1 Cor. 14. 33.] aliquando etiam manifeste patet. Vult igitur Deus peccatum quoad finem, & Eventum ejus Bonum, ad quem illud ordinat. Qui est.

1 Cor. 14. 33.

1. Illustratio Justitiæ suæ in Pœna & justa peccatoris punitione. Cujus summus gradus est peccatū punire per peccatum. Sic Deus voluit indurationem Cordis Pharaonis [Exod. 7. 3. 4.] Sihonis. Deut. 2. 30. Maledictionem Shemei 2 Sam. 16. 10, 11. Mendacium Prophetarū Achabi. 1 Reg. 22. 23. Ita decepit Populum per pseudoprophetas. Ier. 4. 10. Ipsosque pseudoprophetas. Ezek. 14. 9. Omnes denique veritatis osores, 2 Thes. 2. 11. Sic, Tradidit Gentiles

Gentiles cupiditatibus suis. Rom. 1. 24. & 28. Dedit Iudæis spiritum soporis, oculos ut non cernant, &c. Rom. 11. 8. In quibus & consimilibus Locis, Deus, ut *k* justissimus Iudex præcedentia aliqua peccata per subsequentia punit, & eam subsequentium, quam præcedentium debitis supplicijs viam munit, sicut ipsi loci indicant.

2. Castigatio *l* & Probatio. Sic per pseudoprophetas nemus Deus Populum suum. Deut. 13. 3. & per hæreses explorat probos. 1 Cor. 11. 19. Et per peccata castigat suorum fiduciam nimiam, & superbiam, aliosque affectus malos. Ut in Petro. Pijs enim etiam ipsorum peccata in Bonum cedunt. Rom. 8. 28.

3. Declaratio *m* Misericordiæ in nobis asserendis à corruptione peccati, per auxilium Gratiæ, & liberandi à Reatu & Pœna per merita sanguinis filii sui, Rom. 5. 20. 21.

4. Celebratio Gloriæ suæ in his omnibus.

k Sic Areopagitici Cicutam Benevolam fontibus & damnatis bibendam dabant in pœnam Maleficii.

l Sic Pharmacopœus Venenũ ita miscet, & ex arte præparat: ut salutare inde fiat humoribus purgandis medicamentũ.

m Sic idem Antidotum contra Venenũ Vitæ ministrat.

3. Hacte-

3 *Species*

2. Hactenus de Objecto & Gradibus Providentiæ; restant tertio & ultimo loco Species illius, quæ triplici Distinctione comprehendi posse videntur.

1a. Providentia dividitur, in

1. Mediatam; cum Deus Creaturas per creaturas tanquam per Media & Instrumenta regit. Utitur enim Deus ministerio Causarum secundarum; tum Naturalium, tum Voluntariarum, vel Hominum vel Angelorũ, qui sunt excellentissima providentiæ in Mundo gubernando organa. Ut patet ex locis Scripturæ in quibus eorum ministerium depingitur; tum generaliter. *Heb.* 1. 4, 14. *Psal.* 10. 20, 21. *Psal.* 204. 4. tum specialiter, circa Bonos, & Electos: *Psa.* 91. 11. circa malos, *Psal.* 35. 5. 1 *Reg.* 19. 35. *Isa.* 37: 36. De hac mediata Providentia tria notanda sunt.

1um. Deus utitur mediis non necessario propter Defectum Virtutis suæ; sed ex libero Voluntatis suæ arbitrio, propter abundantiam Bonitatis suæ.

2um. Pro.

2um. Providentia non excludit, ſed includit media, quibus neglectis niſi Deus ſe illis non uſurum patefecerit, mala Conſcientia illum tentabimus. Qui deſtinat ad finem, deſtinat ad Media.

3um. Deus malis inſtrumētis præter ipſorum intentionem bene uti poteſt. Ut Judæis fratribus Joſephi.

2. Immediatam, cum Deus per ſe ſine Creaturarum miniſterio res conſervat & gubernat. Sic Deus Cauſas rerum primas & univerſales immediate regit conſervatque. Sic Apoſtoli vocati. *Gal.* 1. 1.

2° Providentia dividitur, in

1. Generalem, quo Deus omnium rerum quas creavit, curam gerit. Ut in *Pſal.* [Tu Domine ſervas Hominem & Beſtias]

2. Specialem, per quam, inter Creaturas, præcipue Hominibus, inter homines præcipue Electis paterna cura proſpicit. Ut, 2 *Tim.* 4. 9. Et de hac Providentia intelligitur Locus, 1. *Cor.* 9. 9. [Num boves curæ ſunt Deo?]

3ª. Providentia dividitur, in

Ordinati-

1. Ordinariam, qua Deus Mundum, Mundi res administret, secundum ordinem & Leges ab ipso latas in Creatione.

2. Extraordinariam, cum vel contra, vel præter ordinem illum constitutum operatus. Ut in edendis Miraculis, de quibus postea plura fortasse dicemus.

FINIS.

P1114
Copy 1

HH256 (?)



P11
cop

]

P1115 Pemble, William, 1592?-1623.
De sensibus internis... 1647.

P1116.5 Pemble, William, 1592?-1623.
Tractatus duo; De creatione, et Prouidentia Dei ... [ca. 1650?]